

dente, defectus ejus, et parvitas in lædendo, et injuriando provocat magis ad iram, quia tanto est major, et injustior parvipensio, quanto a minoribus fit, quia isti tenentur magis honorare superiores. Unde et Job xxx dicitur: *Nunc autem derident me juniores, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei.* Licet ex alia parte, quia honoratioribus abundant jus honorare possunt, si ab eis despiciamur, magis sentimus, quia magnum honorem nobis impediri æstimamus; sed si non debetur, non irascimur contra illos, nec ulcisci desideramus, et sic non provocat ad iram, sed ad tristitiam. Quod si is, qui lædit, parvitatem habeat, et ostendat non in lædendo, sed in pœnitendo, et humiliando se, hoc magis mitigat iram, quia ex hac parvitate, et humiliatione sui alter magni æstimatur.

QUÆRITUR SEPTIMO, QUI SINT EFFECTUS IRÆ.

X. Respondetur effectus iræ inveniri in appetitu, in corpore, in mente, seu ratione. In appetitu causat delectationem et in ea terminatur. Incipit enim a tristitia de illato sibi nocimento, et quia quærit ejus repulsam per vindictam, maxime in tali repulsa delectatur, consummate quidem quando vindicta est præsens, in spe autem, quando ad eam conatur. In corpore causat duplicem effectum. Primo, circa cor accensionem sanguinis, et evaporationem fellis, unde et fit cum amaritudine, quia tendit ad punctionem

contrarii, et naturaliter unumquodque fortius, et impetuosius movetur ad præsentiam contrarii, quia fortificatur natura, ut illud propulset, et sic in animali fit magna impetuositas ad ultionem et repulsionem contrarii, et ideo accenditur cor. Ex hoc autem secundo habet manifestare hunc impetum, et perturbationem cordis, præcipue in illis membris, in quibus expressius relucet vestigium cordis, et motus vitalium spirituum, ut in facie, in oculis, in lingua, in tantum quod aliquando, impeditur præ ira usus linguæ in loquendo, et sic habet pro effectum silentium, seu taciturnitatem.

XI. Denique in mente, seu ratione habet pro effectum perturbationem judicii, quia licet ira, incipiata ratione ut a denuntiante et discurrente circa injuriam, et ultionem, tamen perturbato corde, et accenso sanguine cum tanta evaporatione ad cerebrum, perturbantur vires sensitivæ a quarum ministerio dependet opus rationis, et sic non serenato sensu conturbatur in ira oculus, nec enim perfecte obedit ita rationi, licet a principio aliquantulum eam audiat. Cum autem dicit philosophus, quod iratus non est insidiator, sed manifestus, concupiscentia autem est latens, et insidiosa, hoc dicitur, quia ira quærit ulcisci injurias manifestando excellentiam, quia offensa est, et læsa, et in sui manifestatione maxime laboratur, concupiscentia autem est mollis, nihil excellentiæ, et ardui habens, sed plurimum turpitudinis, et ideo quærit latere, et maxime dolet, si prodatur.

QUÆSTIO XLIX.

DE HABITIBUS IN GENERALI, QUOAD EORUM SUBSTANTIAM.

SUMMA LITTERÆ.

Ab hac quæstione incipit D. Thomas tractatum de principiis humanorum actuum, post considerationem enim humanorum actuum, tam ex parte voluntatis, quam ex parte passionum, quæ aliquid libertatis participant, restat agere de principiis a quibus procedunt, quæ sunt partim intrinseca, partim extrinseca. Dicuntur intrinseca principia, non quia essentialia, aut solum quia in nobis inhærentia, sed quia in suis operationibus, et motibus deserviunt, et subordinantur principio extrinseco moventi, vel solum intrinseco operanti: verbi gratia anima est intrinsecum movens in homine, cui dantur potentiæ tamquam facultates, seu instrumenta, quibus operetur, et ulterius habitus tamquam complementa, et modificationes, seu determinationes harum facultatum. Et ideo sive per acquisitionem generentur per proprios actus, sive a Deo infundantur, semper ad hunc finem dantur, ut deserviant ipsi potentiæ tamquam complementum ejus, et ei subordinati, et in linea moventis intrinseci ponuntur, quia potentia cum habitu sive acquisito, sive infuso, unum movens est, et unum operativum completum, et perfectum.

At vero extrinsecum movens dicitur, quod sine dependentia, et subordinatione ad animam, movet ipsam sive moraliter, ut suadendo, et dirigendo; sive physice, adjuvando, et influendo. Et licet per illam motionem aliquid imprimat in anima quod sit illi intrinsecum, id est, illi inhærens, tamen in movendo, et operando semper agit ex ordine, et habitudine ad extrinsecum a quo impressum est, et non totaliter ex ordine, et subordinatione ad principium intrinsecum, quod ipsa anima est; sicut potentiæ, et habitus etiam infusi, quia sic infunduntur ut in operando ei subordinentur in quantum habitus ejus sunt, licet in quantum gratia, seu gratuito dati, et impressi, etiam ad extrinsecum principium a quo derivantur, pertineant. Et sic non est inconveniens, quod sub diversis formalitatibus, et considerationibus idem ad diversa principia intrinseca, et extrinseca pertineat, sicut gratia habitualis, et virtutes infusæ, quæ illam sequuntur in quantum gratuito data, et impressa a Deo sequuntur motionem principii extrinseci, in quantum habitus completivi potentiæ subordinantur principio intrinseco, sicut virtutes.

Quapropter de principiis actuum humanorum acturus D. Thomas prius tractat de principiis intrinsecis, deinde de extrinsecis. De extrinsecis quæ sunt lex, et gratia tractabitur a quæstione xc, usque ad finem. De intrinsecis distinguit, quia vel sunt potentiæ, vel habitus. Potentia sunt intellectus, et voluntas, et quæ ab his moventur, ut vires sensitivæ, de quibus omnibus actum est in prima parte agendo de anima, et ejus potentiis. Et

ita solum restat in præsentia agere de habitibus, sive virtuosis, a quibus omnes actus humani dependent. Ad hoc autem necesse est prius agere de habitibus in communi; tum, quoad eorum substantiam et speciem; tum, quoad eorum subjectum; tum, quoad generationem, corruptionem, et augmentum; tum, quoad distinctionem.

In hac quæstione XLIX, agit de ipsa substantia, seu quidditate habitus. Et in articulo primo incipit a prædicato generico, et ostendit quod habitus est qualitas, quia habitus dicitur ab habendo. Habere autem dicitur dupliciter, aut secundum quod est idem quod possidere, et tenere, aut secundum quod est idem quod aliquis modus se disponendi ad aliquid, sicut dicimus bene se habere sanum, et male se habere ægrotum, et quod ad tale, vel tale munus, vel actionem sic, vel sic nos habemus, ita quod ipsum se habere sit sicutabilitas quædam. Primus modus habendi non est qualitas, sed aut prædicamentum habitus, aut post prædicamentum habere, nec de illo loquimur in præsentia. Secundo modo est qualitas, quia est disponens, vel habilitans ad aliquid. Et sic loquimur in præsentia de habitu, qui definitur: Quod est qualitas difficile mobilis, vel: Quod est dispositio secundum quam bene, vel male disponitur.

In articulo secundo ostendit habitum (de quo in præsentia loquimur) esse speciem determinatam prædicamenti qualitatis, quia in habitu attenditur specialior modus qualificandi subjectum, quam in aliis speciebus qualitatis. Etenim qualificatio fit in subjecto secundum determinationem alicujus mensuræ, sic enim ea quæ prædicantur in quale, determinant, et actuant potentialitatem aliquam, differentia quidem essentialis ipsam potentialitatem generis, differentia vero accidentales potentialitatem subjecti. Modus ergo, seu determinatio ista tripliciter accipi potest, scilicet vel in ordine ad ipsam naturam, vel in ordine ad actionem, et passionem, quæ consequuntur principia naturæ, vel in ordine ad quantitatem. Si in ordine ad quantitatem est figura aut forma. Si in ordine ad actionem, vel passionem, aut est per modum principii per se illius, et sic est potentia, vel impotentia, aut per modum termini alterationis, et motus, et sic est tertia species. Si in ordine ad naturam attenditur convenientia, vel disconvenientia illius quod est bene, vel male se habere ad illam, et sic est habitus, vel dispositio. Est ergo determinata, et distincta species qualitatis habitus, quia diverso modo ab aliis qualificat.

In articulo tertio ostendit habitum dicere ordinem ad actum, qui est forma, sive ad actum, qui est operatio. Nam habitus est qualitas importans habitudinem ad naturam rei secundum quod ei convenit, vel disconvenit. Natura vero licet in se sit finis generationis, ordinatur tamen ad ulteriorem finem, qui est operatio per potentias suas. Sic ergo illa dispositio, vel habitus, qui convenienter disponit ipsam naturam in se, primo importat ordinem ad naturam, seu ad formam, et consequenter ad operationem ad quam ordinatur natura. Habitus vero qui disponit, et existit in ipsa potentia principaliter importat ordinem ad operationem, quia subjectum ejus, id est, potentia principaliter ex sua natura ad operationem ordinatur.

In articulo quarto ostendit, quibus, vel ad quæ fit necessarius habitus. Et docet quod cum habitus sint dispositiones in ordine ad naturam rei secundum quod bene, vel disponitur, oportet quod tales habitus sint necessarii illis entibus, quæ indigent bene disponi, et commensurari ad finem aliquem, et possunt diversis modis commensurari, ut ita per habitus determinentur. Et ita requiritur in primis quod subjectum non sit purus actus, sed sit in potentia ad id quod disponitur, quia si non est in potentia, sed jam habet dispositionem, non indiget disponi ad ipsum. Secundo, quod non sit omnino determinatum ad illud, sic enim jam esset recte erga illud dispositum, sed quod possit pluribus modis determinari bene, vel male. Tertio, quod non simpliciter modo determinatur ad aliquod,

sicut qualitates elementorum, sed sub diversa commensuratione, et habitudine, sicut sanitas, pulchritudo, habitus scientiarum, aut virtutum, quæ plura commensurant.

QUÆSTIO L.

DE SUBJECTO HABITUUM.

SUMMA LITTERÆ.

Subjectum habituum potest esse corpus, anima; potentiæ, ut intellectus et voluntas; et personæ recipientes habitum possunt esse homines, vel Angeli. Et sic circa omnia ista discurrit, ostendendo quodnam sit subjectum habitus.

In articulo primo ostendit corpus esse capax habituum, seu dispositio- num, sicut sanitas, vel infirmitas, aut pulchritudo in corpore sunt, illud- que disponunt. Et ratio est, quia in corpore inveniuntur tria. Primum, est conveniens dispositio ad tenendam, et conservandam formam, seu vitam. Secundum, est conveniens dispositio ad deserviendum operationibus ani- mæ, quæ per corpus exercentur cum aliqua indeterminatione ad bene, vel male. Tertium, est habitudo ad operationes naturales, quæ naturaliter exercentur per corpus, et non ab anima movente, et dirigente. Quantum ad hoc tertium non ponuntur habitus in corpore, quia est totaliter deter- minatum ad illas operationes: quantum ad secundum ponuntur habitus operativi in appetitu sensitivo, ut virtutes moderantes passiones ad obe- diendum rationi: quantum ad primum ponuntur dispositiones habituales in corpore, ut sit debite, vel indebite commensuratum, ut sanitas, et ægri- tudo, etc.

In articulo secundo ostendit, quomodo in ipsa anima nostra possit esse habitus. Et dicit, quod anima potest considerari dupliciter, et secundum quod est forma, et principium constituendi naturam, et secundum quod est principium operationum. Primo modo non est capax habitus per ordi- nem ad ea, quæ naturæ sunt, scilicet ad informandum corpus, et consti- tuendum naturam, quia forma substantialis non determinatur accidente ad informandum corpus, sed suapte natura substantiali est forma comple- tiva corporis. Est tamen capax habitus elevantis essentialiam animæ ad su- pernaturalem ordinem, scilicet gratiæ, quia fit divinæ consors naturæ. Secundo modo anima est capax habituum, quibus disponitur ad operan- dum, non immediate per se, sed per suas potentias, per quas operativa est.

In articulo tertio ostendit potentias sensitivas esse capaces habituum, non secundum quod operantur ex instinctu naturæ, sed prout operantur ex imperio rationis, ejusque ductum sequuntur, sic enim indigent dispo- ni, et determinari ad obediendum rationi, vel disconvenienter ad ipsam se habendi. Et sic in appetitu sensitivo sunt virtutes moderantes passio- nes, aut contraria vitia.

In articulo quarto ostendit in intellectu esse habitus, sicut scientia, et ars, et prudentia. Et hoc ideo, quia intellectus possibilis, qui est intellec- tivus, est potentia indifferenter se habens ad multa; ergo est capax prin-

cipiorum disponentium, et determinantium ad unum, isti autem sunt habitus. Intellectus ergo est capax eorum.

In articulo quinto ostendit voluntatem esse subjectum habituum ex eodem principio, quia est potentia indifferens, et ad multa se habens, unde est capax ut diversimode disponatur, et ordinetur ad determinate agendum, et cum convenientia, vel disconvenientia ad finem (qui est proprius voluntati) et consequenter secundum rationem bene, vel male se habendi, quod maxime pertinet ad habitum, et præcipue cum habitus sit quo quis utitur cum voluerit, et ex hoc dicit ordinem ad voluntatem.

In articulo sexto ostendit etiam in Angelis reperiri habitus, quia invenitur in eis, eorumque intellectu potentia ad multa, et indigentia determinationis; quod utique fit per aliquam dispositionem, quam vocamus habitum. Est tamen differentia inter habitus illorum, et nostros (in ordine naturali) sicut non est potentia unius rationis in eis et in nobis. Habitus enim in Angelis sunt similes speciebus simplicibus, et immaterialibus, quia ipsi discursu non utuntur, sed simplici intuitionem rerum. Et adhuc istis speciebus superadditis non indigent ad omnia intelligibilia, quia ad cognoscendum se ipsos, et alia secundum modum suum non indigent specie, neque habitu superaddito, bene tamen ad cognoscendum alia. In nobis autem propter majorem potentialitatem (quia utimur discursu) major necessitas est ponendi habitus non solum ex parte specierum, sed ex parte luminis, et virtutis intelligendi quæ debilior, et minus determinata, et roborata est. Quomodo verò in Angelis sunt habitus, et an sint solæ species intelligibiles, in disputatione disquiretur.

QUÆSTIO LI.

DE CAUSA HABITUUM QUANTUM AD SUI

GENERATIONEM.

SUMMA LITTERÆ.

Habitus possunt intelligi causari, vel a natura si sint insiti, vel ex consuetudine si sint acquisiti, vel a Deo si sint infusi. De singulis inquirunt.

In articulo primo ostendit quomodo habitus aliqui possint esse a natura, distinguens de naturali dupliciter, vel quod totaliter, et consummative est a natura, vel quod inchoative est a natura, consummative autem ab exteriori principio. Dicit ergo, quod habitus, qui se habent ut dispositio subjecti ad formam, possunt totaliter esse a natura, sicut qui a natura habent sanitatem, vel pulchritudinem: vel possunt etiam per artem acquiri. Loquendo autem de habitibus disponentibus ad operationem, sicut sunt habitus intellectus, aut voluntatis, non possunt in hominibus habitus esse complete, et totaliter a natura, sed solum quantum ad aliquam inchoationem, seu principium. Nam in intellectu est vis naturaliter cognoscitiva primorum principiorum, ut quod totum sit majus parte, sed cognoscere totum, et partem non potest sine speciebus ab extra venienti-

bus, et actu aliquo elicito, et exinde generatur habitus principiorum. Similiter potentia voluntatis naturaliter habet inclinationem ad bonum in communi, sicut quælibet potentia ad objectum suum, sed non habitum determinate ad hoc bonum, vel illud inclinantem, quousque per actum aliquem acquiratur, et determinetur.

In articulo secundo ostendit, aliquos habitus generari, et acquiri in nobis per actus. Quia licet in agentibus habentibus principium tantum activum non possit dari assuetudo, vel dissuetudo, ut in igne ad calefaciendum, aut etiam ubi est principium pure passivum, ut in materia prima ad recipiendum, tamen ubi est principium activum, et passivum actus, quia se movet, potest in tali principio in quantum patitur, et movetur fieri aliqua dispositio a suomet actu in quantum movet; et sic non est inconveniens, quod per proprios actus ab aliqua potentia procedentes, generetur in ipsa aliqua dispositio, seu habitus.

In articulo tertio ostendit, quomodo possit habitus generari uno, vel pluribus actibus. Nam cum habitus sit dispositio acquisita in aliqua potentia, ut passiva ab aliquo activo, contingit aliquando activum perfecte vincere uno actu totam resistantiam passivi, aliquando non nisi pluribus, verbi gratia appetitiva non vincitur unico actu rationis propter indifferentiam suam ad bonum, et malum, aut etiam resistantiam ad bonum. Vis autem apprehensiva in aliquibus vincitur unico actu, et potest generare habitum, ut in actibus evidentibus, quia per illos convincitur intellectus, et sic plene determinatur. In actibus vero inevidentibus non plene determinatur intellectus, et sic unico actu non generatur habitus. Et præsertim in parte sensitiva, ut in memoria, non unico actu generatur habitus, et plena adhæsiō, seu determinatio.

In articulo quarto ostendit, aliquos habitus infundi a Deo; tum, quia dantur aliqui habitus ad aliquem finem, seu ordinem supernaturalem, et tales per se debent esse infusi, quia a nulla causa naturali, sed a Deo possunt infundi; tum, quia potest Deus se solo infundere et causare habitus, qui alias per causas naturales acquiri possent, scilicet studio nostro; sicut Adamo, Salomoni, et Apostolis plura infudit, quæ studio possent acquiri.

QUÆSTIO LII.

DE AUGMENTO HABITUUM.

SUMMA LITTERÆ.

In articulo primo ostendit habitus esse de genere eorum, quæ possunt augeri, tam extensive, quam intensive. Extensive quidem non sicut quantitas materialis, quæ extenditur per suas partes, ex quibus componitur, et tunc augetur quando perfecta redditur, sed sicut quantitas virtualis, quatenus ad plura se potest virtus extendere: ea enim quæ per ordinem ad aliquid, in quo plura continentur sortiuntur speciem, possunt extensive augeri, vel minui prout plura, vel pauciora attingunt. Et sic habitus augeri possunt; sicut scientia attingit plures, vel pauciores conclusiones. Intensive autem potest habitus augeri, quia potest diversimode participari in subjecto, et non est de ratione ejus indivisibiliter se habere, et sic

potest magis, et minus participari, quod est intendi in ipso, sicut una scientia est clarior, aut virtus est ferventior alia.

In articulo secundo ostendit, quomodo habitus possint augeri per additionem, et quomodo non. Nam additio potest intelligi in formis, aut secundum ipsam formalem, et specificam rationem formæ. Et talis additio solveret speciem, non conservaret. Vel secundum materialem receptionem in subjecto, sicut si forma quæ est in una parte communicaretur alteri, aut novum subjectum adveniret. Et talis additio est materialis, et per accidens, nec facit melius, sed majus. Vel additio esset secundum extensionem virtuales, id est, secundum attingentiam ad plura objecta. Et sic potest fieri augmentum per additionem in his habitibus, quæ ad plura objecta se habent. Vel tandem potest intelligi additio per intensionem, et participationem in subjecto, et sic augmentum non fit per additionem, sed per majorem participationem, aut radicationem in subjecto.

In articulo tertio ostendit non quolibet actu augeri habitum, sed tantum actu correspondente perfectioni, vel intensioni habitus, aut disponente ad ipsum, non deficiente in minus.

QUÆSTIO LIII.

DE CORRUPTIONE, ET DIMINUTIONE HABITUUM.

SUMMA LITTERÆ.

In articulo primo ostendit posse habitum corrumpi, tum per se, tum per accidens. Per se quidem, quando corrumpitur a suo contrario, per accidens ex defectu sui subjecti in quo est. Sed hoc non eodem modo contingit in omnibus habitibus. Nam in habitibus corporalibus, ut sanitas, pulchritudo, etc. utroque modo invenitur corruptio, scilicet et per contrarium, ut sanitas per ægritudinem, et per defectum subjecti, quia subjectum corruptibile est. In habitibus autem, qui sunt in anima, potest esse corruptio per contrarium, ut scientia per errorem, virtus per vitium, non autem per defectum subjecti, nisi quantum ad id quod ex tali habitu redundat, et subjectatur in potentiis sensitivis. Si vero aliquis habitus non habeat contrarium, ut habitus primorum principiorum, nullo modo potest corrumpi.

In articulo secundo ostendit, quod habitus potest diminui, sicut et augeri, nempe non in sua essentiali specificatione in qua non suscipit magis et minus, sed in sua extensione ad plura, vel pauciora objecta materialia, et in sua intensione secundum quod a subjecto magis, vel minus participatur in intentione, vel remissione.

In articulo tertio tractat, quomodo habitus possit corrumpi, vel diminui per solam cessationem ab actu, et ab ejus usu. Et dicit quod cessatio, et non usus directe, et per se non corrumpunt, vel diminuunt habitum, sed per accidens, seu removendo prohibens, quatenus per exercitium, et usum habitus remonentur, et succidunt extraneæ imaginationes, et affectus, quæ nate sunt inducere contrarium corruptivum, vel diminutivum habitus. Remoto autem actu, et cessante usu habitus, crescunt ista contraria, a quibus debilitatur habitus, vel etiam corrumpitur: præsertim cum ea, quæ sunt in intellectu nostro, et voluntate dependeant a sensu in quo per cessationem unius, transmutatio alterius contrarii crescit.

QUÆSTIO LIV.

DE DISTINCTIONE HABITUUM.

SUMMA LITTERÆ.

Distinctivum habituum potest sumi, vel ex diversitate subjecti in quo sunt (aut ex unitate ejus unitas) vel ex diversitate objectorum, aut ex diversitate partium, seu qualitatum, ex quibus componitur.

In articulo ergo primo ostendit in una potentia posse esse plures habitus, et consequenter non sumitur præcise diversitas habituum ex diversitate potentiae, seu subjecti, in quo sunt: nam habitus, vel pertinent ad dispositionem naturæ, vel operationis. Si loquamur de habitibus, seu dispositionibus naturæ, possunt plures esse in uno subjecto, eo quod subjectum componitur ex partibus, quarum quælibet suam potest habere dispositionem. Si loquamur de habitibus disponentibus ad operationem, etiam potest una potentia habere plures habitus, quia potest habere plures actus diversæ speciei, cum sit indifferens, et indeterminata ad illos, ut patet in intellectu, et voluntate; ergo et plures habitus inclinantes ad illos.

In articulo secundo ostendit, quod habitus distinguuntur specie penes objecta, sicut et actus, eo quod essentialiter ordinantur, et versantur circa objecta, actus quidem in actu secundo et ultimo, habitus vero in actu primo, et tamquam inclinatio quædam in actum; ergo per illa distinguuntur, quia ad illa essentialiter, et specificè ordinantur, non quidem penes objecta materialia; sed penes formalia, quia in formali ratione movendi, et specificandi conveniunt plura objecta, sicut plura visibilia in colore.

In articulo tertio ostendit specialiter convenire habitibus distingui secundum bonum et malum, eo quod habitus disponit subjectum secundum convenientiam, vel disconvenientiam naturæ, vel quantum ad ipsum esse, seu conservationem naturæ, vel quantum ad ipsum operari. Ratio autem convenientiæ importat rationem boni, et ratio disconvenientiæ malum, quod præsertim apparet in moralibus, ubi datur convenientia, vel disconvenientia naturæ rationali, prout secundum regulas rationis dirigitur.

In articulo quarto ostendit habitum esse simplicem qualitatem, nec componi ex pluribus habitibus, et qualitibus. Quia etsi ad multa materialia objecta se extendat, omnia tamen respicit sub una ratione formali, et ideo sufficit ad id una qualitas, sicut sufficit una simplex potentia ad omnia objecta sua. Et licet magis, aut minus intendatur in subjecto, hoc non addit qualitatem superadditam, sed modum participationis, et radicationis in eodem subjecto, et ejusdem qualitatis.